



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae

Schnorrenberg, Anno

Coloniae, 1740

LXXX. In toto partem non est dubium contineri.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62040](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62040)

REGULA LXXX.

In toto partem non est dubium contineri.

QUÆRES. Quis hujus Regulæ sen-
sus ?

R. Quia totum dicitur, quod ex partibus est compositum, ideo cui competit totum, illi etiam competunt partes. Ut in exemplis sequentibus: **1mo** cui pro tota re sua ab alio possessa competit vindicatio, illa quoque pro singulis ejus partibus competit. *L. qua de*

101a. 76. ff. de rei vindicat. 2do. Toto fundo evicto, ejus quoque pars evicta censetur. L. ex mille. 64. ff. de eviction. 3tio. Rei judicatæ exceptio sicut obstat ei, qui prius pro tota domo in Judicio egit & succubuit, sic eidem obstat, si postea pro ejusdem domus parte agere intendit. L. si quis, 7. ff. de except. rei judicat.

CASUS.

Ad utramque Regulam.

Theodorus & Theresia Conjuges reciprocum faciunt Testamentum, Theresia virum exasse hæredem instituit. In omnibus bonis suis dotalibus, (A) Feudalibus (B) Fideicommissis. (C) Allodialibus, in quibus al qua per futurum, rapinam aliasque violentias à patre Theresia acquisita inveniebantur, quamquam Theresia in bona semper fide fuerit. (D) Econtra Theodorus hæredes Universalis suos proximos instituit agnatos. Theresia conjugii imprimis legat usumfructum in omnibus bonis immo-

bilibus, inter quæ fideicommissis quædam sunt gravata. (E) Eidem Theresia legat omne aurum & argentum, ex quo ipsa sibi quamcunque pecuniam auream & argenteam arrogare præsumit. (F) Præterea legat fundum, ut dicebat, meum inter istos limites existentem, qui fundus tamen nunquam Theodori fuit. (G) Demum legat hortum, ut dicebat, meum ædibus meis adjacentem, ille tamen Theodoro cum fratribus suis communis erat. (H)

RESOLUTIO.

(A) **D**Os profectitia, hoc est, à parte data, ad patrem adhuc viventem dissoluto redit Matrimonio, ideòque per Reg. 79. non poterat dari viro.

(B) Bona feudalia, si ad familiam pertinebant, cum in iis *Theresia* solum ususfructum haberet, in virum transferri nequibant.

(C) In Fideicommissis etiam *Theresia* plenum non obtinebat dominium, quare nec hæc viro tradere valebat.

(D) Res furtiva, item fundus vi occupatus, reale habebat vitium, quod non purgatur, nisi rursus ad verum devenerit Dominum, unde de illis, licet bona fide possideret, disponere non poterat. Si autem aliàs rem alienam vitio reali non affectam habuisset, quam bonâ fide præscripisset, vel præscribere incepisset, illam in maritum licitè transtulisset, sicque exceptio à Reg. 79. locum habuisset.

(E) Ususfructus causalis est pars domini. Cum igitur totum per Reg. 80. contineat partem, qui per fideicommissum dominium rei ad alium trans-

mittere gravatur, partem quoque vel ususfructum transmittere debet, unde legatum ususfructus rei fideicommissò onerata non subsistebat.

(F) Cum aurum & argentum in genere legatur, pecunia signata non continetur. L. cum aurum. 19. L. Quintus Mutius. 27. ff. de auri. & argent. legat. aurum enim & argentum pro re vendibili, pecunia verò signata pro pretio sumitur, quapropter pecunia velut species sub auro tanquam genere non comprehenditur.

(G) Quando testator sciens fundum alienum, quem falsò appellat suum, legat, hæres illum à Domino redimere, & Legatario præstare debet; quia cum fundus in rerum natura sit, demonstratio falsa legatum non perimit. L. quibus. 40. §. qui dotalem. ff. de condit. & demonstrat.

(H) Cum fundum communem esse sciebat, verè appellavit meum, videlicet quoad partem, quam quoque legasse censetur. L. servi electione. §. §. cum fundus. ff. 1. de legat.



R E-